



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 2. Sacerdotes sint sapientes ac prudentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

CAPVT II.

Sacerdotes sint sapientes ac prudentes.

Beatas tunc demum Respublicas fore dixit magnus Plato, si quando earum gubernaculo prudentes, sapientesque rectores, id est Philosophi, admoherentur. Equidem beatas etiam futuras Ecclesias tunc demum puto, cum prudentes cordatosque, qui verè Philosophi sunt, pastores presbyterosque nactæ fuerint.

Dixit olim sapientissimus mortalium Salomon, ubi non est gubernator, populus corruet; salus autè ubi multa consilia, & prudentia. Et sanè cum Ecclesijs sapientes Pastores defuerint, animæ in interitum & exitium vergunt, at è contrà, ubi sapientes Sacerdotes fuerint, qui eosdem regant ac prudenter dirigant, bonum & salus populorum est.

Melior est, inquit Ecclesiastes, sapientia quàm vires; & vir prudens quàm fortis. Atque ideo Sacerdotes, dum sapientes & prudentes sunt, publico & ciuitatibus vniuersis vtiliores & conducibiliore sunt; quàm validi duces & generosi milites robore præstantes.

Radix sapientia, ait olim Sapiens, est timere Deum, ramillius longæui, &c. Aio igitur illum secutus, Sacerdotes qui Deum timent, verè sapientes esse.

Scribit Ecclesiasticus, verba prudentum statèra ponderabuntur. Quibus verbis Sacerdotibus regula præscribitur, si modo sapientes & prudentes esse velint, sermones illos suos ponderare, & verba in statèra, appendere debere.

Magnus legislator Moses miserias & calamita-

K 2

Felices Ecclesie cum sapientes Sacerdotes illis præsunt.

Plato lib. de republ. Prou. 11.

Benedictio populi sapiens presbyter.

Eccle. 5.

Sapientia viribus præstat.

Timor Dei radix sapientia.

Sap. 1.

Baruc. 3.

Eccle. 21.

Sacerdotes verba ponderent.

lamitates Hebræorum deplorans, dicebat omnes illorum calamitates ac miseras non ab alio fonte deriuari, quam quod prudentia destituerentur, & temere atque absque consilio nouissima non prouidentes, bestiarum instar uerent, *Gens absque consilio est, & sine prudentia, utinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent!* Deplorandus verè Sacerdotum status est, cum consilio carent, & prudentiam in actionibus suis non adhibent: & utriusque defectus innumera eis mala causatur, & ruinam tandem extremam accersit.

**Dux imprudens** fit, cuius discipuli desperant. *Est apud Salomonem prouerbiū, Dux imperitorios discipulos disperdit.* *gens prudentia multos opprimet per calumniam.* Sacerdotes animarum duces & populorum summi rectores, at cum illis prudentia defuerit, regni exitium sunt, & se ipsos simul & infinita hominum millia perdunt & destruunt.

**In Menod.** Philosophus Plato de prudentia agens, omnium illam humanorum negotiorum ducem, directricem ac gubernatricem appellabat. Hanc ipse illius sententiam usurpans dicere uolens, Sacerdotes hac virtute destitutos, actiones suas dirigere, vitam moderare, negotia gubernare non posse, atque ideo sine hac omnia pessimi atque ad interitum tendere.

**Sacerdotum prudentia** aedificatio Ecclesie. *In hoc proposito delapsus Salomon, dixit olim, sapientia aedificatur Domus, & prudentia corroloratur.* Benè quoque dicam, si dixeris, Sacerdotum sapientia domum Dei aedificari, & eorumque prudentia fundamenta ac fulcra Ecclesie sustentari.

**Sapientia** signum predestinationis. *In predestinationis sue materiam designans Apostolus, deque gratia sibi à Deo collata agit.*

agens sapientiam ac prudentiam in primis celebrat ac deprædicat, dicēs, *Quæ superabundauit Ephes. 1.*  
*in nobis in omni sapiētia ac prudentia.* Nescio quo spectet Apostolus, hoc scio, præcipuos ac primos gratiæ effectus esse, animam sapientem reddere, ac præcipua prædestinationis signa esse, prudentiam demonstrare. Adeo vt Sacerdotes tunc sese prædestinatos & in Dei gratia constitutos demonstrent, quando prudentes, prouidi, ac sapientes fuerint.

Deus sapi-

Scriptit in officijs Marcus Tullius, *Prudentes amat*  
*dij amat, & oderunt malos.* Illius sententiam meo adaptans proposito, verè dico, Deum impios detestari Sacerdotes, & sapientes, prudentesque summo amore complecti.

Dauid ob prudenti-

Primo Regum puer quidam Saulis, coram eo laudauit, *Dauidis merita deprædicans, prudentiam illius*  
*commendauit, Ecce vidi filium Isai Bethleemiticum I. Reg. 16.*  
*scientem psallere, & fortissimum actore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis.* Vt egregiam hanc historiam meo adaptem instituto, & allegoricè exponam, dico, quò Sacerdos dignè & ex merito coram omnibus laudetur, à prudentia illum imprimis commendari oportere. Quicumque igitur in verbis sapiens, & in negotijs prudens est, laude dignus est & præconio.

am laudatus.

Beatus homo, scribit in prouerbijs Salomon, *qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia: Prou. 3.*  
*melior est acquisitio eius negotiatione auri.* Beatus, Sapienciam qui inuenit beatus est.  
 inquam, Sacerdos qui sapientiam & prudentiam acquisiuit, eo quod excellentes illæ virtutes, ceterarum omnium duces, diuitijs ipsis & opibus opulentiores sunt.

Dixit olim Menander Comicus, *si bene Menander prudens sis, in omnibus fortunatus eris.* Cum illo prudentes

esse dixit  
beatos.

quò ad opinionem coincidēs, sentio quoque, Sacerdotem qui sapit ac prudens & discretus in suis negotijs est, beatum ac fortunatum in omnibus actionibus futurum.

Nihil homine dignius quàm sapientia.

M. Tullius eloquentiæ torrens scripsit quodam loco, sapientiã nihil esse optabilius, nihil præstantius, nihil homine dignius, esse rerum humanarum & diuinarum scientiam. Quod orator hic in genere & latius dixit, in particulari hoc ipse dixero, & asseram, Sacerdoti sapientiã nihil magis optandum, nihil illa haberi posse dignius, nihil conuenientius; ipsa siquidem in Sacerdote facit, ut non omnia, tam quæ in cælo, quàm quæ in terra.

Socratis  
Apophth.

Interrogatus olim Socrates, quid esset Prudentia, *Anima*, inquit, *continuitas*. Idem roganti quinam reuera prudentes essent, *Qui non facile aberrant*, dixit. Bene feliciterque sapiens ille respondit, cuius responsioni ut me adiungatque accommodem, dico illum Sacerdotem verè prudentem esse, qui nunquam in exitum ruit, semper virtutem confectatur, nunquam vitiorum tramitem deflectit.

*Prou. 15.*  
Prudens vitam suã disquirit.

Hoc tractans Sapiens, hominem prudentem dixit gressus dirigere, & quo loco pedes figat diligenter aduertere. Sacerdos profectus qui prudens est, gressus suos moderatur, actiones ponderat, & in vitæ vias omni loco inquirat: sed qui hac virtute caruerit, incertè inambulatur, ad singulos passus offendit, inque omnibus vijs deuiat, tandem in præcipitem infame præcipit.

Hinc olim Apostolis suis Christus, ad prudentiam

dentiam illos exhortatus, dixit, *estote prudentes* *Matth. 10.*  
*sicut serpentes, & simplices sicut columbae.* Quibus Christus  
 verbis edocemur illum indignum esse qui Chri-  
 sti discipulus nominetur, aut Apostolorum suc-  
 cessor, qui serpentinam prudentiam & colum-  
 binam simplicitatem non possederit.

Scriptum est in Euangelio, gnarum illum *Seruus pa-*  
 seruum, quem Dominus super familiam suam *terfamilias*  
 & rerum omnium gubernatione constituit, fuisse *laudatur*  
 fidelem, prudentem, prouidum, & sapientem, *ob prudē-*  
*seruus & prudens.* Insignis profecto locus & ob- *tiam.*  
 seruatione dignus, qui que demōstret, Sacerdo- *Matth. 24.*  
 tem, qui seruus Dei est, sed seruus super Eccle-  
 siae Domum, gubernationemque familiae & om-  
 nium fidelium est constitutus, Domino suo fide-  
 lem, prudentem in actionibus, & omni ratione  
 sapientem esse debere.

Apostolus Paulus de dotibus Episcopo ne. *Prudentia*  
 cessarijs, Episcopo Timotheo perscribens, inter *Episcopo.*  
 cetera ostendit, illum prudentia esse debere or- *imprimis*  
 natum; *Sobrium, prudentem, ornatum.* Quod A- *necessaria,*  
 postolus ille de magnis Prælati & Archiepis- *1. Tim. 3.*  
 copis dicebat, equidem de Sacerdotibus priua-  
 tis in genere dico, assero que ad eorum comple-  
 mentum ac perfectionem inter ceteras dotes  
 atque ornamenta, prudentiam esse pernecessa-  
 riam.

*Prudentia, vel discretio,* ait seraphicus Bona- *Prudentia*  
 uentura, *non tam virtus est, quam quodam mode- virtutum*  
*matrix & auriga virtutum, ornatricq, affectuum magistra.*  
*& morum doctrix.* Adeo ut si prudentia in Sa-  
 cerdotibus reperiatur, omnis in illis virtus sit;  
 at si illa defuerit, omnes illorum actiones non-  
 nisi vitia sint.

Atque hæc sententia fuit magni Anachoro-  
 Prudentia tæ Antonij, reliquorumque veterum Patrum, quod  
 Sacerdotes solam prudentiam ac discretionem religiosam  
 recta ad & Sacerdotes recta ad Deum deducere, atque  
 Deu ducit. per illam reliquas inuiolatè virtutes conseruari  
 Per solam prudentiam ad summum nos per  
 fectionis apicem pertingere, sine illa verò, om-  
 nem conatum etiam intentissimum ad vitæ spiri-  
 ritualis culmen pertingendi, irritum & penitus  
 inanem esse, eo quod prudentia mater esse  
 custos, moderatrixque virtutum omnium. Sa-  
 cerdos qui hac virtute donatus est, ad summum  
 perfectionis fastigium peruenit, cui verè  
 ipsa defuerit, non nisi tironem ac nouitium  
 credo.

*Cassian. col.*  
*2. ca. 4.*

*Albert. Mag.*  
*in parad. a-*  
*nimi c. 8. &*  
*34.*

Sacerdos  
 humilis sit  
 vt sic sapiens

*Lib. de sum-*  
*mo bon. c. 1.*

*Serm. 4. ad*  
*fratres in*  
*eremo.*

Prudentia vera ac perfecta, sapientibusque  
 necessaria est, semper niti ad agnitionem diuinae  
 naturæ, & profunditatem humanæ miseriæ. Te-  
 lem porro desiderabat sanctus Augustinus  
 cens, Dominus, nouerim te, nouerim me. Sapiens  
 porrò ac prudens Sacerdos ille est, qui perfectum  
 se tum Deum cognouerit.

*Vera, inquit Cassianus, discretio ac perfecta pr-*  
*udentia, non nisi vera humilitate conquiritur. Sa-*  
*cerdos quoque verè sapiens esse nequit, nisi pri-*  
*us humilis fuerit.*

Nullus, ait Isidorus, sapientiam Dei plenè  
 capit, nisi qui se ab omni abstrahere actionum  
 contendit. Sacerdos igitur ex illius sententia  
 nunquam planè perfectus esse potest, nisi prius  
 se à mundi negotijs & curis sæcularibus seque-  
 stret & expediat.

*Fratres prudentia, ait sanctus Augustinus, quibus*  
*necessaria est, quia docet quid fugiendum*

quid tenendum sit. Docet ipsa siquidem, non oportere vos superbire, nec inordinato rerum temporalium amore teneri, utpote quæ caducæ sunt, ac simul ostendit cogitare vos debere, ea quæ possidetis, aliena esse & externa, solumque usum fructum eorum vobis concessum. Sacerdos igitur sapiens ac prudens sit, qui sancta humilitate se conuestiens, fugere nonit malum, & quod bonum est celeri pede sequi.

Prudentia  
ijs necessa-  
ria.

Prudentia, ait idem ibidem, armemini, fratres, ipsa siquidem docebit vos, ut, quæ non potestis perpetuò tenere, fructuose permittatis abire; docebit ipsa, ut in cunctis idem sitis, tam in prosperis quàm in aduersis, ut sitis adinstar manus, quæ semper eadem est, quam tumuis in pugnum contrahatur, aut in palmam explicetur. Egregia profectò prudentiæ indicia sunt, varietati ac mutabilitati subiectum non esse, eundem semper vultum monstrare, ac rupis instar fluctibus impetitæ, immobilem persistere.

Prudentiæ  
effectus.

Quin & eodem loco subiungit, Prudentiam sectamini fratres; nam ipsa docet, quomodo reprehensibilis sit nimia laudatio, & immoderata vituperatio: illa siquidem adulatione, sed ista suspecta malignitate: prudentia verò veritatis testimonium perhibet, & damnat avaritiam. Porrò, vanitatem contemnere, vituperia irridere, atque aduersus omnes adulationes sese armare, prudentiam singularem arguit.

Ipsa docet  
fugiendas  
summas  
laudes &  
summa vi-  
tuperia.

Prudentiam igitur fratres diligite & cordi imprimite, nam discretioni vnita multa promittit, & plura quàm promittat præstat, promissaque complet. Ipsa docet quomodo præ-

Respicit  
præterita,  
præsentia,  
futura.

K 5

sentia *ibidem.*

sentia ordinentur, præterita recorderis, & futura quomodo prouideas. Sacerdos verò prædens est, qui præsentia rite disponit, præterit præ oculis habet, de quæ futuris etiam sollicitus est.

Nulla sine prudentia virtus.

*De constit. monast. c. 15.*

Prudentiæ virtus ad eò necessaria est, tanquam que momenti, ut teste Basilio, in omni quæ agitur scipitur actione, ipsa præcedere debeat; nam prudentiâ remotâ nihil cuiusvis generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium recedere potest. At ubi ratio & prudentia in ijs quæ bona sunt locum occupant, dici non potest, quæ commoda, quæ bona secum trahant. Prudentia igitur actionum anima est, & quidquid ab illa non animatur, vitæ expers est, & omni merito destitutum; Sacerdos verò qui hac virtute caret, instar corporis exanimis est.

Prudentia tria respicit.

*Bonauent. de process. relig. c. 1.*

Sacerdotes prudentes comparati animalibus Ezech. *Greg. hom. 1. in Ezech. dist. 88. c. Decretis.*

Porro, Sacerdotes, prudentes ut sitis, omnes actiones vestræ respiciant necesse est. Circumspiciendum enim primò est, an licet; at; secundò num deceat; tertio an expediat. Quæ tria prudentiam spirant & sapiunt.

Animalia quæ Ezechiel Propheta confudit, & in circuitu & intrinsecus plena oculis fuisse memorantur, Quicumque enim in se ipse nescit moderatur actiones suas, sicut sponit, internas autem negligit, in circuitu oculos habet, non verò intrinsecus. Sancti intuentur tam quæ foris sunt, quam quæ intus, atque idcirco oculos & in circuitu interius habent, quod prudentiæ est. Hæc animalibus similes sint Sacerdotes, vnde debent habere oculos & omnem in partem excubant, ut intueantur intrinsecus, & vigilam instar

terna pericula detegant, atque hoc demum est esse sapientem.

Sacerdos igitur fit sanctus ac religiosus; quia in sola religione, id est in summa Dei notione sapientia fita est; atque ideo is se verè sapientem dicere potest, qui veram Dei habuerit cognitionem. Et sane ut meræ stultitiæ argumentum est Deum non cognoscere, ita quoque evidens sapientiæ testimonium, eiusdem cognitione præditum esse, ac præfertim Sacerdotibus.

Sacerdos sapientiæ expers, oculis captus verè dici potest ac cæcus: nam, teste Lactantio, ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani.

Prudentia virtus admodum necessaria est, sed quis eius sit vsus imprimis sciendum est. Pauci quippe sunt qui utiliter; pauciores qui humiliter præsumunt; qui autem ad hoc idonei sunt, illi nimirum sunt, qui matrem virtutum discretionem perfectè adepti sunt. Vobis, Præsules, hæc decantantur, vobisque hic insinuat, ad bene alios regendos, discretionem & prudentiam vobis esse necessariam: hæc siquidem virtus Prælati auctoritatem elargitur, sine illa verò cuncta pessum eunt.

Prudentia est, ait idem Bernardus prudenter prudentia uti, eiq; caritatem velut sociam addere. nam virtus discretionis absque fervore charitatis iacet, & fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat: adeò ut zelus regere debeat discretionem, & discretio zelum, ne sollicitudo & cura subditorum

Sapientia in Dei cognitione consistit. Lactant. de falsa sapient. cap. 21.

Sacerdos sine sapientia, cæcus est. De origi. error. 5. c. 8.

Quis sit prudentiæ vsus. Bernard. l. 2. de consider.

Prudentiæ sit annexa charitas. Lib. 2. de consid. serm. 2. sup. canit.

super-

superiori desit, & vicissim ipse arroganter  
superbè non præsideat, Sacerdos verò qui  
duo in vitæ suæ ratione conciliare potuerit,  
est, discretionē cum charitate, zelum cum pru-  
dentia vnire, nã ille sapiens ac prudens habet  
dus.

*In modo bo-  
ne viuendi  
serm. 63.*

*Omnia per  
prudentiã  
gubernata  
perfecta  
sunt.*

Denique, ait iterum idem Bernardus, *ubi  
dominatur ratio, & in omni re est aliquod moder-  
men, nihilq; firmum ac solidum est, si prudentia  
conducat; prudentia porro mediocritatem im-  
dit, atq; omnia mediocria & moderata vtilia  
& in suo genere perfecta: quæ cum tempera-  
simul salubria sunt; bona autem immoderato  
sumpta noxia efficiuntur: omnis enim nimietas  
cessus est & in vitio deputatur, & ad extrema  
transit, extrema verò vitium sunt. Mediocritas  
igitur sectemini Sacerdotes, omnes actiones  
vestras ad rectam normam dirigite, ac cogitate  
indiscretum illum esse, qui nimium sapere  
velit.*

*Prudentia  
necessaria  
in virtutũ  
exercitio  
Lib. 28. Mo-  
ral. c. 6.*

Estote igitur prudentes (ô Sacerdotes)  
virtutis exercitio, vti vos magnus hortatur  
Gregorius, ac cogitate, præclaram illam gen-  
tam sæpenumerò amitti, si indiscretè retine-  
tur, & si cum discretionē relaxetur, conser-  
Interdum enim ex studio arcus relaxatur, &  
suo tempore maiori cum vtilitate tendatur,  
olentia igitur deuotiones interdum relaxantur,  
vt postea magis magisq; easdem accendatis,  
igitur mediocritas non fuerit, non est vitium,  
nullum ad hæc violentum perpetuum est.

*Orat. 17. de  
humilit.*

In correctionibus fraternis, vti cautè monuit  
S. Basilijus, estote prudentes, diligenter que-  
rite, ne dum alios reprehenditis, cæco affectu  
præ-

præcipiti passione transuersum, extra rationis  
 limites abripiamini, præcipitantem omnem & Prudentia  
 impetum vehementem fugite, neque ob res par- necessaria  
 uas aut nihil, aliquem condemnate, quasi vos o- in correcti-  
 mnibus numeris iusti sitis: sed cum omni humi- one frater-  
 litate ad hoc procedite, litem hanc sincerè di- na,  
 scutite, summa cum integritate negotium hoc  
 decidite, ac scietis velim omnia hæc in pruden-  
 tiæ ludo edoceri. Prudentis siquidem medici  
 est, molliter ac benignè ægrum tractare, duri-  
 us verò cum illo agere, barbariem sapit, atque  
 inimicem operatorem arguit.

Estote prudentes in conuersationibus vestris, In conuer-  
 ait Augustinus, & visitationibus, vbi adfuerint satione ne-  
 alij, & temporibus ac locis & personis vos ac- cessaria est.  
 commodate: viuere enim secus quam viuunt Dist. 41. c.  
 quibuscum agimus, superstitiosum est, limites eod.  
 verò & terminos hominum piorum transgredi,  
 vitium est, & improbitatem redolet. Sed his se  
 attemperare, & instar aliorum viuere, Philoso-  
 phicum est, pietatem sapit. Dicere vult, Sacer-  
 dotes illos, qui temporari seruire & hominum se  
 genio accommodare nesciunt, stultos ac stoli-  
 dos, qui verò vtrumque præstare scitè horint,  
 prudentes verè posse appellari.

Prudentia igitur in omnibus necessaria est, & Prudentiæ  
 ipsi etiam prudentiæ, Dixit enim olim Sapiens, prudentia  
 inquit B. Ignatius, Prudentiæ tuæ pone modum, ne- necessaria.  
 que enim decet sine modo eam virtutem esse, qua B. Ignatius  
 reliquarum virtutum modus & mensura est. Vos Loicla in  
 verò virtutum studiosi prudentiam in primis reg. cap. de  
 diligite, ac considerate, quantopere illa ceteris prudentia  
 virtutibus, cum sibi ipsi sit etiam necessaria. rerum agēd.

Non solum, ait Chrysostomus, mundum pu-  
 rumq; Sacerdotē esse oportet, vt qui tali ministerio Lib. 6. de  
 dignus Sacerd.

Sacerdos  
prudens sit  
& cautus.

dignus habitus sit; sed etiam prudentem ac longum rerum variarum vsu experientiaq; donatum, non minorem rerum secularium, quam mundani ipsi in mundo commorantes, cognitionem habeant. In omni igitur re versutus tritusque sit, omnium rerum experientiam habeat. Quid ni, & venerabiles patres? Pietas enim & deuotio, ac negotiorum secularium tractatio incompatibiles nequaquam sunt.

Et in omnibus probatus.

Idem qui supra.

Cum verò necesse sit, Sacerdotem diuinis mysterijs destinatum cum hominibus conferari, & domos interdum adire eorum qui habent vxores, proles, famulos, quiq; diuitiis & opibus pollent, magnaue negotia obcurrant, varijs sint oportet, ad omnes casus infractis, multarum rerum experientia clari. Atque hoc qui se cum dignitate gerit, is verè prudens est; qui verò partibus suis defuerit, non nisi inlidum brutum est.

Sit vniuersalis.

Suid. in vita  
S. Chrys.

Greg. 2. part.  
Past. c. 7.

Et sanè vniuersalem esse Sacerdotem decet, re encyclopadiam quamdam & publicam rerum omnium notitiam in se habere, ac varijs esse, non tamen occultum, subdolum, vafrum, adulatorum, neque contumeliosum; sed verè politicum; libertatis & candoris plenum, qui vtiliter se rebus ac negotijs publicis accommodare norit, temporique prudenter seruire; quæ non minus facilis sit quam austerus. Magnam igitur Sacerdotum ornamentum ac decus, omnia negotia dignè obire, & omnibus consilium prudens suggerere posse.

Estote igitur prudentes, Sacerdotes, temperate, dignè viuite, sapientes vt serpens. cordatos vos ostendite; reordemini etiam

documenti quod ipse Dominus primis Sacerdotibus tradidit, *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae.* Serpentinae altitiae comes accedat columbina simplicitas; quae duae partes semper se mutuo sequi debent.

## CAPVT III.

## SACERDOTES ESSE OPORTET

*constantes & immobiles.*

Ipse Redemptor Christus summus Evangelicæ legis Sacerdos primos Sacerdotes instituens, primatū & præcipuum eorū caput dicit voluit Petrā, eumq; Ecclesiæ suæ in fundamentū dedit dicens, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petra porro constantiæ symbolum est, simul etiam ostendere voluit, vel se ut sui Sacerdotes Ecclesiæ, petrarum instar constantes & rupibus pares sint, quæ quavis fulminibus impetantur, tonitru concutiantur, loco tamen minimè mouentur aut cedunt.

Porro Sacerdotis mens Proteo non debet esse mutabilior, non gallinaceus campanilium ad omne flabrum mobilis, nō coturno versatilior, non chamæleonte mutationi subiectior, omnes in se formas & figuras admittens; sed in eodem semper statu perseveret, seseque immobilem ostendat, in quo palmam imitetur, quæ etiam vi maximā attracta non flectitur; incudem quoque ictibus assiduis resistentem; arcam denique Noëi, à naufragio liberam, sed quò imbribus & fluctibus magis impetebatur, eo cælo magis

Sacerdotes  
instar Pe-  
træ sint  
immobiles

Matth. 16:

Sacerdos  
non sit  
mutabilis.

Gen. 7:

gis